

82
EPITHALAMIVM

In festivitate nuptiarum

REVERENDI,
CLARISSIMI, NEC NON

ingenij ac doctrinarū laude præstantissi-
mi viri Dni: M. HERMANNI SAMSONII Rig:

Ecclesiastæ in vrbe patriâ veræ religionis Ze-

lo laudatissimi, ibidemq; Scholæ Inspecto-

ris fidelissimi, SPONSI:

ET

LECTISSIMÆ, PVDICIS-

simæ, beneq; moratæ Virginis HELENÆ

HARTMANNÆ, Honestissimi ac primarij quon-

dam hujus vrbis civis p. m. Dni. BRVNONIS

HARTMANNI filix relictx SPONSÆ:

25. Iunij Anno 1609. cele-

bratum.

Conscriptum

Debitæ gratitudinis & observantiæ ergò

à

JOHANNE COIEN Rig: Livon:

Sponsi discipulo.

214

Quid precer ergo tibi? dignè quo gratuler ore
Pectore tu toto Sponse colende mihi?
Quid vè canam tibi? te quibus aut celebrare Ca-
Debo, surgentis spesq; decusq; Scholæ? *(meritis)*
Fundam quas laudes? memori quo carmine tandem
Te excipiam, magni candidè præco DEI?
Nescio: nam celebri notus super æthera famâ
Carminè tu cuncto major es ipse, tuâ.
Inclÿta vinacis tua quis præconia laudis,
Virtutesq; valet quis numerare tuas?
Tu siquidem Aonidum teneris sectatus ab annis
Castra, ô militiæ præmia quanta capis!
Nunc iuvat insignis titulum sumsisse Magistri,
Munera pro meritis cum Themis aqua refert.
Ingenij scriptis tibi nunc per secula cuncta
Vivere per celebrem docta Minerva dedit.
Est & Apollo novos tibi pollicitatus honores,
Poscere quos proprio, ut debita, jure potes.
Dulcia quid memorem mellitæ dona Suadæ?
Cujus tu nutu es non Cicerone minor.
Nam decus eloquij, culta est qua gratia lingua?
Qua docto fluit ut nectâr ab ore tuo:
Sen populo cum commemoras sacra jura Iehouæ,
Nobis in vè Scholâ dogmata clara paras.

A 2

Cetera

AKADEMIJA * LATVIJAS
PSR Z LATVIJAS
FUNDAMENTA
1924

ZA FB
B. 2072

KATALOGS

Cetera quis nescit? verum quis cetera fando
Explicet? aut Elegis equiparare queat?
Omnes namq; tibi bona plurima Dijs; Dejsq;
Pro tribuere suo quilibet officio.
Talia sed Venus Idalij ut regina videret,
Ingemit, ac tales fundit ab ore sonos:
Heu miseram me! ego sola viro non grater amorum
Mater; Et hic à me premia nulla feret?
Numinis ulla me tantum nec sentiat unquam.
Gaudia, nec lati senora conjugij?
Non ita: sed stabili jungam illi fœdere Sponsam,
Qua, scio, nil illi gratius esse potest:

Hic HELENA est quædam, quæ nomine DVRA, VIRAGO,
Durities molli at pectore nulla subest.
Est equidem dura: & duro contemnere novit
Vultu, quicquid eam prava libido jubet.
Legitimos casti tamen haud ea spernet amores
Lecti, nec dulcis conjuga vincla tori:
Egregio clarum quæ stemmate creta parentum
Est imbuta piè moribus ingenuis.
Nunc at adulta satis, plenis jam nubilis annis
Laude pudicitiae clarior inde viget.
Attrahit in victo ceu magnes robore ferrum:
Sic trahit hæc comi pectore dura procos.

Hujus

Hujus enim rosæ quanta est præstantia formæ!
Durities contra pectore quanta subest!
Ad duo quod & probitate pià (rarum) gravis, atq;
Splendida jucundis affluat ipsa bonis.
Ros matutinus, campo gratissimus, herbas
Æstu languentes ut recreare solet:
Talius illa virum, studijs fessum atq; labore
Aonij coetus, exhilarabit amans.
Multis quid referam? varijs ut confitus herbis
Hortus odoratis dona decora tenet:
At tamen hinc rosa non paruum decus addit amæna,
Est quæ purpureo tincta cruore meo:
Nunc etiam ille tenet sic munera magna DEORUM
Aonidum, quorum laus sua cuiq; manet.
Nactus at hanc animo cultam, formaq; puellam,
Te SAMSON quis felicior esse potest?
Ast erit illa tibi (certum) vxor amabilis. Illos
Saucia amore gravi tu pharetrate puer.

Sic ait, Et dicto citius percussit acuto
Vestra puer telo corpora bina tener.
Hinc Et uterq; novos fervens sibi concipit ignes,
Oribus hinc duris mutans arsit amor.
Connubio hinc jungi sociali gaudet uterq;
Atq; parat dulcis fœdera mire jugi,

43

Ote

O te igitur felicem, ð terq̃, quaterq̃, beatum!
Pectore tu toto Sponse colende mihi.
O te felicem, talem tu nocte puellam,
Cypria quam sociam junget amore tori.
Rebus ea in duris erit haud tibi **DURA VIRAGO,**
Sed quocunq̃, queat dulce levamen erit.
Te quoq̃, felicem, te terq̃, quaterq̃, beatam,
Eximium Sponsi Sponsa venusta decus,
Quis neget? aut tantos tibi non gratetur honores
Quis pius? ð tali digna reperta viro!
In rebus duris erit hic tibi sola voluptas:
Pectore tu comi hinc gaudia sola dabis.
O vos felices, quorum nunc pectora jungit
Castus amor Veneris federe bina pari.
O cives-cives vestra est si maxima cura
Proles, nunc motus sumite mente novos.
Gaude tuq̃, verendi Amplissimus ordo Senatus
Si quis inest vobis posteritatis amor;
Gaudete, inquam, omnes, quibus est in corpore sano
Mens sana, & Veneri solvite thura **DEÆ.**
Atq̃, pij dignas depromite pectore grates:
Nam clemens vobis munera clara tulit.
Vix patrias hic dum **SAMSON** clarissimus oras
Appulit, hunc rursus Tentona terra vocat.

Nunc

Nunc Viteberga suum, est qua doctis hospita Musis,
Nunc Hamburga potens discipit esse suum.
Avocat, ac celebres illi nunc spondet honores
Rostochij claris urbs celebrata viris.
Sed Venus ignipotens hoc vinclo, virgine, duro
Alligat hunc nobis, hinc & abire vetat.
Exultans igitur nova quis non tollere corda,
Et nova latetia non dare signa velit?
Est insigne decus talem retinere paternis
Manibus, ð cives, gloria & alta virum:
Quem sibi quisquis habere volunt, quem culta **LYCÆA,**
Extera quem gens & gaudet habere sibi.
Hunc ergo nobis ut fata virum pia servent
Incolumes & agant Sponsus uterq̃, diu.
Contingant & eis in vitâ prospera quaque
Nunc cuncti votis addite vestra meis:

Summe DEVS, sacer es vincli qui conjugis auctor,
Conjugiumq̃; beas numine **CHRISTE** tuo.
Hos, ego quaeso, novos felici sydere junge
Sponsos, una ut mens corpora bina regat.
Adsit casta Venus, stabili quæ neccat amantum
Corda fide socia (id Sponsus uterq̃; rogat)
Nascaturq̃; frequens soboles, quæ palmitis instar
Viteferi crescat, concelebretq̃; **DEVM,**

Quæ



Quæ referat verum virtutum icona parentum,
Exhilaret matrem quæ, exhilaretq; patrem.
Florentes quot amæna rosas nunc rura Roseti,
Campus odoratus lilia quotq; tenet :
Et quot habet violas hortis hic mensis Iuni :
Contingant Spõnsis tot bona, *CHRISTE*, precor.
Vivant felices annosa tempora vatis :
Larga nec his unquam copia desit opumi.
Deniq; pertæsos vitæ hujus transfer ad altas
Cælicolũ sedes, tu pie *CHRISTE*, tuas.

*Riga Liwonum Ex Officina Typographica Nicolai
Mollyni, Anno 1609.*

